

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Ioannis S. R. E. Cardinalis Bona Opera Omnia**

Tribus Tomis comprehensa

Opuscula Spiritalia - I. Horologium Asceticum. II. Principia Vitae Christianae. III. Manuductio ad Coelum. IV. Via Compendii ad Deum. V. De Sacrificio Missae. VI. De Discretione Spirituum ... Operum Eminentiss.  
Cardinalis, Tom. I

**Bona, Giovanni**

**Parisiis, 1677**

§. 37. Poenitentiam omnibus Christianis necessariam esse

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9969**

ristia suavitas & mansuetudo erga proximum & amor erga Deum. Sicut avarus diu noctuque divitiis inhians , nihil cogitat nisi lucrum & pecuniam , ita qui sæpius hæc Sacra-menta suscipit sicut oportet , semper ad Deum anhelat , nec aliud potest sine ingenti molestia cogitare. *Vitæ per-fectæ* fundamentum hoc est , omnimoda abstractio à re-bus oninibus , quæ Deus non sunt.

§. XXXVII. *Pœnitentiam omnibus Christianis necessariam esse.*

**O**MNIS Christianus sic vivere , sic mori debet , ut con-tinuo luctu & squallore ostendat se pœnitentem esse , qui pro peccatis commissis satisfacere satagit & ab omni labore purgari. Hoc initium fuit , hæc summa Evan-gelicæ prædicationis : *Fuit Joannes in deserto baptizans & prædicans baptismum pœnitentiae in remissionem peccatorum.* Mar. 1. 4. Ipse met Iesus dux & legifer noster cum se pri-mùm hominibus manifestavit : *Venit in Galileam prædi-cans Evangelium regni Dei & dicens : Quoniam impletum est tempus & appropinquavit regnum Dei : pœnitentia & cre-dite Evangelio.* Ib. 14. Et alius Evangelista ait , *Cœpit Iesus prædicare & dicere , Pœnitentiam agite , appropinquavit enim regnum cœlorum* Matt 4. 17. Præmissa est pœnitentia , tanquam dispositio ad suscipiendum Evangelium , ut anima ab omni maculâ emundata idonea fieret ad gratiam Dei recipiendam , quæ in malevolam animam non intrat , nec habitat in corpore subdito peccatis. Sacrificium pla-cabile & Deo gratum est , cùm homo resipiscens se deli-quisse fatetur & agnoscens iniquitatem suam , veniam contrito corde à Deo postulat quem offendit. Hoc maxi-mum peccati malum est contemptus Dei , nam qui peccat , Deum spernit & odit : cuius flagitii & perversitatis causa est defectus fidei & considerationis. *Quis enim tantæ de-mentiæ , & temeritatis foret , ut legem Dei violare & transgredi auderet , si verè crederet & intelligeret quid sit Deus & quid sit ipsum offendere , cuius summa boni-*

ras, infinita potentia & tremenda maiestas? Ad hanc abyssum profundissimam miseriarum nos culpa originalis dejicit, ut secreta quādam aversione velut infani fugiamus à Deo, ipsoque derelicto, in quo sunt omnia bona, volvemur in cœno fluxis & fucatis bonis adhærentes, vel quia latet veritas, vel quia compellit infirmitas. Quanta sit autem & quam deplorabilis hæc cœcitas, nemo comprehendere potest, nisi attentiùs meditetur tantam esse peccati malitiam, ut sola unigeniti filii Dei acerbissima passione & morte expiari potuerit. Si igitur hoc vere credimus, si peccata nostra, eorumque gravitatem perpendicularimus, ita dies nostri cum dolore & mœrore transgrediunt, ut ostendamus nos veluti reos esse, qui omni momento suæ damnationis sententiam præstolantur. Facile omne peccatum à Deo condonatur, cùm pœnitentia & meliori vita corrigitur.

S. XXXVIII. *Signa & fructus verae pœnitentiae.*

**N**unquam poterunt evitari peccata, nisi sit in anima ingens eorum horror & odium: nec diurna erunt opera pœnitentiae, nisi sit in anima ardens desiderium acquirendæ perfectionis. Ad Sacramentum autem pœnitentiae nunquam accedendum, nisi præter contritionem & voluntatem non amplius peccandi, aliquod semper speciale peccatum, præcisus omnibus ejus occasionibus, deponatur. Et hoc erit præcipuum confessionum emolumen-tum, facere fructus dignos pœnitentiae, omnem scilicet Dei offendit detestari, tremendum ejus judicium perhorrescere, se ipsum cum rubore & confusione arguere, ad omnem satisfactionem se paratum exhibere, omnem appetitum divinæ legi contrarium coercere, omnia peccandi pericula evitare, humilitatem suique contemptum libenter amplecti, conscientiam suam frequenter discutere, & omnes ejus sinus ac latebras diligentissime perscrutari, eradicare, destruere, evellere ab anima quod pravum est; tum in ea serere, plantare, ædificare quod sanctum & perfectum